


XXXII  
38



**IDOLUM MULIEBRE**  
 In vulgò ita dictâ  
**PASSIONE HYSTERICA**  
 DISPUTATIONE INAUGURALI  
**ELEVATUM & EXCUSSUM,**

Quod

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

*AUGUSTO & SERENISSIMO REGIO PRINCIPE ac DOMINO,*

**DN. FRID. WILHELMO,**

REGNI PRUSSIÆ AC ELECTORATUS BRANDENBURGICI  
 HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE

**DN. CONRADO JOHRENIO,**

*PHIL. & MED. U. DOCT. FACULTATIS SUÆ SENIORE  
 & PROF. PRIM. p. t. DECANO,*

PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET  
 PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CAPESENDIS,

Publicæ Eruditorum disquisitioni

submittit

*Ad Diem XXX. Januar. Ann. M DCC XII.*

**CHRISTIAN JOANNES SCHEFFLER,**

Jüterbogensis Saxo.



FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.






D E

# PASSIONE HYSTERICA.

## Præfatio.



I Febrini molestam, si  
sordidam scabiem  
Deas crediderit gen-  
tilis antiquitas & nu-  
mini earum templa  
dicaverit, advertente  
Prudentio in Ha-  
marthigeniâ

Par furor illorum, quos tradit fama di-  
catis

Consecrâsse Deas, Febrem scabiemq; sa-  
cellis.

ut & Tatius referente *Min. Fel. in Oct. & La-*  
*& tantio Lib. 1. cap. 20.* Cloacinam consecrave-  
rit; Haud impari ferè ratione hodièdum mu-

(4.)

liercularum vulgus *Uterum*, inter sterlus & urinam positum, tanquam Idolum in solio collocatum superstitione colit, quod si aliquo modo turbetur aut ex sede suâ dimoveatur iratum habeant, ut varia interdum horrenda graviaq; inducat corpori symptomata, imò commotum adeò ad fauces assurgere fingunt, ut intercepto spiraculo suffocationem sèpè minitetur: Non libatur ipsi thure aut aliis svaveolentibus fumigiis, quibus ob odorem peregrinum exsis magis læditur, confinibus olenticietis & fœtutinis asfvetus: Sed ne in communia gentis humanæ incunabula injurii esse videamur, aniles istas fabulas, non raro pristinâ medicorum authoritate, errore potius & præconceptis opinionibus suffultas removebimus: Cumque vix sit sexus fœminini pejor affectus, quem non unico utero s. matrici acceptum referant, innocentissimum hoc & aliás nobilissimum viscus, ut perspicacem decet Medicum, ab opprobriis vindicabimus & characterem *nociva* *Deæ* expungemus.

Para-

(5.)

*Paragraphus I.*

Cognitionem morbi secundum Sym-  
ptomata & Signa proponit.

Affectus ille, quem uterinum seu passionem hystericam vocant, adeo complicatus est, ut arctis definitionis limitibus circumscribi nequeat; quare ex historiâ symptomatum, quæ vero non in omnibus omnia nec semper æquè gravia apparent, & paroxysmum aut antecedunt, aut concomitantur, aut sequuntur, facilius quis, quid morbi sit cognoscere poterit; *ναὶ ἐξοχὴν* ita *suffocatio uterina*, quod primarium symptomata aut supremus ejus gradus sit, vulgo dicitur, licet plures affectiones sint, quæ vel ab utero dependent aut dependere creduntur; dicta & fuit *ἀπνοια*, quâ utrāq; appellatione unum quendam affectum explicare voluisse Medicos, cum tamen multæ sint uteri affectuum differentiæ, vel pro specierum quarundam varietate inter se differentes, optimè olim notavit Galenus 6. de loc. aff. cap. 5. Helmontio audit in *ignotâ actione regiminis Asthma strangulans* pag. 270. No. 43. & muliere sub Tit. *Asthmatis & Tussis*. pag. 288. No. 9. Paracelso *Caducus matricis*, cum Lib. III. paragr. de Caducis cap. I. §. 2. ad caduci genus, non Epilepsia ut quidam male interpretantur, refert, *Nunc*, inquiens, quæ aggritudines ad caducâ genera pertinent sunt istæ: *Epilepsia omnes species: Suffocatio matricis extra locum: syncope cum generibus suis* (videlicet deliquium rediens, & *syncope non rediens*) *vertigines & id genus.* Interim in *Epilepsiam formalem* læpè transfire non negamus.

A 3

Dici-

Dicitur Suffocatio & apnoea, non quod ea cum dispendio totalis sit; raro enim hoc malum licet terrificum & molestum, nisi graviora ut syncope & convulsiones &c. superveniant, lethale, prægnantibus tamen & puerperis periculosius est, sed quod præcordiorum angustia & constrictione faucium addèo respiratio præcludatur (quod græca vox ἀπνοία significat) ut subinde se singulis momentis suffocari putent agræ, imò interdum tantum est spiramini suspendium, ut sensu omni & motu destitutæ, sine ullo sensu & motu, sine respiratione, sine pulsu jacuerint ad aliquod tempus, interdum non dicam horas sed aliquot dies, ut mortuæ creditæ & jamjam sepeliendæ revixerint, innumera exempla pasim apud Authores si evolvere libuerit, congeriem verò eorum apud Schenckium Lib. IV. sub Tit. de suff. ut. obs. II. pag. 640. Edit. Francof. in Fol. Ann. 1665. reperies: Inter alia autem maximè commoti fuimus tristì fato Vesalii meliore digni, quod obs. III. ib. ex Paræo Lib. 23. cap. 46. recenset: Is in Hispaniâ ad nobilem mulierem, quæ ex hysterico strangulatu mortua credebatur dissecandam vocatus, sed ad secundam novaculæ impressionem, drepente ad se rediit motu & clamore se superstitem significans, quô tantum amicorum odium in se concitavit ut periculi evitandi causâ, provinciâ quam citissime excedere cogeretur, quapropter haud multò post mœstitiâ confectus, interiit: Nomen vero titulo neglectæ Anatomiae parentis & restauratoris honorificè premit: Sennertus in Prax. Lib. IV. part. II. Sect. III. cap. IV. de Suff. ut. suggerit; G. H. Velschius obs. med. episagm. C. expresè nominat, additque ipsum in pœ-

in poenam imprudentiae, in insulam Zacynthum  
 fuisse deportatum ex eodem Paræ loco supra cit.  
 quod cum hic Author non sit ad manus in medio re-  
 linquere cogimur, idem negante Andreæ Dudithio,  
 oratore cælareo, apud Laur. Scholzium epist. 31. quod  
 monemur medici in his casibus circumspectè age-  
 re & valde providè, ne similem infamiae notam in-  
 curramus; quare halitum aut carptæ lanæ flocco  
 aut leviori plumâ aut speculo terso explorare à  
 priscis etiam & demortuis præceptoribus docemur,  
 quod tamen non sufficere videtur infidele signum;  
 sternutatoriis potius, helleboro, pyrethro &c. de  
 vitâ cognoscendum; quidam generoso Vomitorio  
 malunt; D. Prævotius Patavinus vesicatoria coxis fru-  
 stra applicata rem desperatam significare tradit;  
 certissimum est indicium si cadaverosum de se spi-  
 ret odorem corpus, quod tum demum simpliciter  
 de eo actum esse decernere liceat. Præcedunt im-  
 minentem Paroxysmum oscitatio & pandiculatio,  
 comitante totius corporis lasitudine & crurum im-  
 becillitate; faciem tristis pallor occupat, disparen-  
 te rubore, soluto paroxysmo reversuro; detonant  
 in intestinis borborygmi & rugitus undâte motu clas-  
 sicum canunt, qui sâpè aut evolante ruetu aut sub-  
 tus emissâ flatu in magnum ægrotantis levamen  
 solvuntur; peregrinos sonos quales animalium vo-  
 ces ex imo ventre auditos fuisse ex Corn. Gemma  
*Lib. i. cap. 2. cosmocrit.* trascripserunt Schenckius, Se-  
 nertus & alii; si absque fuko & imposturâ fuerit res,  
 variâ modificatione flatuum ad tot intestinorum  
 flexuosos anfractus fieri potuit: Si voces articula-  
 tæ? nec idem statim pro effatis dæmoniacis, cùm hodi-

hodierna ætas ἡγεμονίᾳ s. ventriloquorum frau-  
 des abundē perspexerit, habendæ. In quibusdam  
 quasi globus aut pila minor ab imâ parte ventris  
 superiorem versus cum impetu quodam, aſt pede-  
 tentim moveri percipitur, quem ipsum esse ute-  
 rum adeò præfracte contendunt, ut negare vel con-  
 tradicere piaculo effet. Conjunguntur exquisiti do-  
 lores ſive lancinantes, ſive tensivi, aut contorquentes,  
 nunc fixi, nunc & plerumque vagi; ſi nulli, ra-  
 rum eſt: Admodum item frequens hypochondrio-  
 rum coarctatio, ac ſi fune aut circulo ligneo firma-  
 ta comprimantur, mox de inflatione eorum & di-  
 stentione conqueruntur: Appetitus ut plurimum  
 prostratus eſt, & aſumpta vitioſe ſapiunt, post pa-  
 roxyſum famem intendi paucies obtingit, ſed bi-  
 diuum aut triduum ante eum auctam, ſoluto eō re-  
 missiorem ipſi notavimus. Alyus itidem adſtricta;  
 quā ſuāpte ſponte clyſterevē ſolutā, & quō major  
 flatum copia conjuſtim emittitur, egregriè mi-  
 ſellæ levantur: ut & vomitu, qui ſubinde cum ma-  
 teriæ diversi coloris & ſaporis ejectione accidit:  
 Quandoque ad lachrymas; quandoque ad effufum  
 & continuum riſum, à quo & admonitæ & objurgatæ  
 ſibi temperare nequeunt, nonnunquam poſt inter-  
 valla in utrumque invitæ coguntur. Notatione ſa-  
 nè digna ſunt, quæ Jac. Hollerius Lib. I. de morb. int.  
 in Schol. ad cap. 59. pag. 263. refert. D. de Rochepot, in-  
 quiruit, quæ cum varicofa eſſet, eo affectu corripiebatur cum  
 delirio, riſu, lachrymis, contradictione oculorum. Alteri ri-  
 ſus, deinde perturbatio mentis: hinc lachrymæ, à quibus  
 etiam monitæ non ceſſant. Sed nihil admirabilius, quam  
 quod duabus filiabus Præſidis Rhomagensis contingere ſo-  
 lebat

*lebat in motu sursum uteri, quo intervallis laborabant: Risus enim longo ad horam, & horas duas imminentे Paroxysmo capiebantur, quem neq; metu injecto, neque hortatu, neque alis artibus poterant compescere. Parentibus interrogatae & objurgatae se non posse continere risum respondebant.* Non minus memorabilis hic Francofurti observata historia à prioribus saltem in eo diversa, quod in istis symptomata, in hoc verò subiecto ejusdem affectus causa extiterit risus. En in compendio totam! Amico cuidam, quo & nomine *avilōnās* fui-  
mus, ancilla serviebat domestica proceræ staturæ & boni habitus annorum 24. quæ quoties ad risum, ad quem levibus de causis, & ad minutias quasvis nulliusque momenti prona, aut joco, aut aliâ re commoveretur, subito omnium membrorum imbecillitate correpta, & omnino deperditâ respiratio-  
ne prosternebatur, aliquamdiu subridentis oris li-  
neamenta servans, quō postea firmiter clauso, ita per semihoram plus minus sine ullo sensu, sine omni motu præter pulsum, qui celer quidem sed admodum debilis, jacebat: durante paroxysmo facies ma-  
jori ac ante rubore suffusa erat, pòst evanescente eō pallida; albentes manuum extremitates frige-  
bant; tandem validè ut ex profundo & celeriter spiritum ducebant ad se redditura, cæterū per diei reliquum à paroxysmò operibus ritè subeundis in-  
epita fuit, quare hinc dimissa abiit; è postliminio autem perfectè Epilepticam esse factam audivimus:  
de mali origine quæsita, olim se ex immissione pe-  
tulantis digitii comparium in latera sua indeque ni-  
miâ titillatione suprà modum vexatam malum con-  
traxisse, apertè & ingenuè confessa est. Nec raro-

B

pal-

palpitatio cordis tremula cum pulsu raro, parvo & debili inchoanti paroxysmo comes est ; cum super-venerint vertigo & scotomia præsentisfimus est ca-sus ; in quò subinde delirant, & varia inepta lo-qvuntur : secus, si *diPhosia* aut lipothymia acceſſerit, quâ aliquid loqui aut significare prohibentur, inter-im tamen quædam ſibi redditæ, omnia ſecum acta memorare queunt ; quædam planè nihil iſtorum reminiſcuntur, quod prægravidum affectum pro-gnariter indicat ; cuius tres ferè gradus, ex mente etiam aliorum, ita judicato : Quò magis libera reſpiratio, eò levior ; quò magis ea interclusa cum obſcuriore pulsu eò gravior, erit Paroxysmus, ſi ve-ro syncope & convulſiones acceſſerint, gravifl-mus ; Eō, jam declinante humor quidam ex *idioſis* profluſit, quem pro ſemine muliebri effuſo neuti-quam habebis, niſi in hoc paſſu, cum antiquis deſi-pere velis : Ceterū admodū & perquam com-plicatum morbum, licet omnem accidentium ex-aetè tetigiffe congeriem, quod & diſſiculter fieri po-teſt, non dicamus, ex recenſitis cognosces : mu-lta cum aliis. e.g. Epileptiā, Apoplexiā, Syncope &c. ex parte communia habet, multis etiam, ſi in abſtra-cto & ſpecialiter conſideraveris, ab iis diſferre in praeticiis videbis. Tentantur autem hoc malo cu-juscunque ætatis & conditionis fœminæ, ſive virgi-nes, ſive maritatæ, ſive viduæ, juniores vetulæve ſint, illis & ante mensium fluxum, pubertatem ta-men præſupponimus, & his quæ naturaliter iſpis deſtitutæ fuerint, prægnantibus & puerperis non ra-ro, aſt virginibus profeſtioris ætatis, ſterilibus & vi-duis in vene-rem pronis frequentius obtigiffe com-pertum eſt.

Para-

(ii.)

Paragraphus II.

Causas explicat.

Uterum versus superiora & usque ad ventriculum imò ad fauces reverā sede suā emotum ascendere posse, fœminæ plerumque non solum ab antiquorum sed & recentiorum temporum viris gravibus & medicis edoctæ opinantur, cùm in eam sententiam inclinasse videatur ipse Hippocrates, quando *Libr. de morb. mulierum I. num. XVI.* inquit: dum autem convertuntur, impetunt hepar, & juxta consistunt, & ad præcordia irruunt. Currunt enim & progrediuntur sursum ad humiditatem, tanquam à labore magis quam opportunum est resiccati. Hepar autem humidum est. Postquam autem impetiverint hepar, suffocationem faciunt, drepente perspirationem circa ventrem intercipientes: Ita Plato in *Timao* sive *Libro de natura pag. 552. edit Lugd. de ann. MDXC. Græco-Lat.* „f. vulvam seu matricem ζῶον ἀπερμητικὸν i. e. animal generandi avidum appellat, quod si hōc destinatur, aut ultrà diutius detineatur, ægrè ferre moram & plurimum indignari: passimque per corpus oberrans meatus spiritus intercludere, respirationem præpedire, extremis vexare angustiis, morbis denique omnibus premere: & Aretatus *Lib. II. cap. XI.* animal in animali ζῶον ἐν ζῶῳ quod jucundis odoribus delectetur, contrā fœdè olenitibus contristetur, quare & si superiora repente petierit angustiis jecur, transversum septum, pulmones & cor celeriter opprimendo strangulatio nem inducat. Quamvis verò Galenus Platonis assertum

fertum olim *Lib. VI. de loc. affect. cap. V.* bene & solidé confutaverit; nihilosecius doctissimus *Fernelius* à rectè primū conceptā ejus sententiā, per globum illum ascendentem in symptomatibus supra enarratum, se dimoveri & in devia seduci passus est. Sed quid multis? hos priscorum errores, tanquam spongia abstersit sapientior proles, quippe oculares novissimi ævi medici Anatomici adeò statum hujus visceris perquisivere, ut nullus penitus exauditoratae opinioni locus supersit, demonstrantes, præterquam quod uterus anterius cum vesicâ urinariâ, posterius cum intestino recto immmediatè connectantur, binis ligamentorum paribus uno lato & membranoso, altero magis terete aliis partibus ita firmiter adalligari, ut nisi violentiâ aliquâ compulsus neque descendere, multò minus ascensu situm mutare potis sit: quæ fusiùs in anatomicorum libris explicata prostant: quâ re perspectâ opinionem quidem de uteri ascensione missam fecere recentiores, attamen nescii quò globum illum medicis etiam admotâ manu sensibilem referrent, qui multum negotii ipsis facessebat, ad hujus aut alterius testiculi motum oberrantem aut tubæ Fallopianæ glomeramen, sed æquè tenui judicio dilapsi sunt: Utero enim hæ partes ita connexæ sunt, ut citra eum altius assurgere nequeant, mobiles & fluctuantes quidem, sed in cavitate ossis Ilei, quam pelvim Anatomici vocant, & mutuô vinculo & incumbentium intestinorum mole satis contineantur; & contra naturam sit, corpus gravius minoris & multum levioris motui obedire; & si ita sive tractu sive impulsu sursum ferantur, quomodo ad situm natu-

naturalem & requiem tam repente componi possint,  
non videmus : quod *Riolanus Anthropogr. Lib. II. c. 32.*  
scribit, se in hysteris virginibus testes pugno,,  
grandiores fero semine turgentes, quin etiam,,  
tubam uteri amplificatam & valde dilatatam de,,  
prehendisse ; aliorumque observationes de testibus  
vitio contentorum magnitudine autem nil faciunt  
ad rem quæstionis, multò minus assertum probant,  
nempè testes & tubam talem tumorem globosum,  
qualem interdum in foeminis deprehendi diximus,  
efficere posse. Quibus & sàpissimè in tali passione  
mortuis uterum debitæ molis in situ & constitutio  
ne naturali citra peccantis materiae præsentiam re  
perta fuissè, è contrario opponi potest, Syndromen  
horum vid. apud *Bonetum in sepulchrt. sive Anatomia*,  
*pract. Lib. III. Sect. XXXIII. de hystr. aff. obs. V. & seq. pag.*  
1331. & seq. Hærente & ibi aquâ, nodus ille inex  
plicatus & in medio, usque in novissima tempora,  
relictus fuit, ne verò dicæ utero semel scriptæ fo  
rent irritæ, aut accusatio frivola videatur, malignæ  
qualitatis vapores ex eô aut in testiculis corrupto  
semine asfurgentes fallaciâ non causæ ut causæ  
commenti sunt, en evanidas nugas ! nonne collecti  
in utero per dehiscens ejus orificio facilius exter  
minarentur, quâm per aretos poros, non enim alia  
via, abdominis cavitatem peterent; & si hoc, quid  
eos è spatiösiori loco in angustias intestinorum cog  
ret inibique concentraret ; diffusos autem tantos  
motus ciere, cum eâdem facilitate ventrem ac u  
terum penetrare poterint, nemo animo facile con  
cipiet ? novimus quos morbos patiatur Uterus ; quæ  
que vitiosa & præter naturam in vel ad eum à mor  
te hy-

te hysteriarū inquisitione anatomica detecta, neutriquam verò causa istius strictè loquendo dicenda, cùm producta morbosa aliundè conquisita : Idem in catameniorum suppressione, hæmorrhoidum in viris non multum dispari judicabis; injustè accusabis in eā uterum, ut in hâc dolentem s. h. podicem utrumque culpâ exhortem, cùm yitium non in his, sed in ipso sanguine evacuando ex antecedente causâ hæreat: & quid utero cum catameniis? quod multis adhuc paradoxon videbitur, si nunquam in eô, uti haetenus creditum fuit, sed solumimodo in sinu pudoris per vasa consyeta effundi cruentem, cum aliis hujus ævi viris doctis experientiâ duce sustinemamus: novimus interno motu turgidum semen retentum, coactum, corruptum, quæ mala sapientia atrocia & horrenda inferat utero minimè imputanda. Sed, ut unico ieu rem decidamus, indisolubile nobis videtur argumentum pro exculpando utero, quod ea symptomata, quæ viris æquæ ac fœminis accident, & communia sunt, utique illi specialiter & privativè, cum fœminarum propria pars sit & sexum distinguens, ideoque eā careant mares, adscribi & accepta referri nequeant : Istiusmodi mares malo hypochondriaco gravius laborant, & non tantum muliercularum simillimas abdominis passiones, sed & eundem ascendentis globi motum perlentiscunt, & præfocabili constrictione faucium tentantur; cunque nuperorum medicorum tabulae non solum, sed & propria cognitio ubertim exempla suppeditent, prolixiori probatione assertum hanc indigere censemus. Insigne autem præ aliis & notabile est, quod Willisius cap. V. de morb. convuls.

obs.

*obs. 6. pag. 49. edit. in quart. Genev. ann. 1676. de viro  
 passione quasi hysterica correpto, una cum globo  
 isto in abdomen violenter moto, commemorat:  
 non minus auscultationem meretur, globus ferè  
 subcutaneus in curatore quodam sedis & villæ e-  
 questris hypochondriaco, post calculoso, ex adver-  
 sâ partè hepatis nempe regione umbilicum versus  
 sensibiliter & plus vice simplici devolutus, ubi tan-  
 dem impetuose, & quod benè notandum, cum fra-  
 gore disiliens evanuit. Ipse Sennertus olim dubius  
 fatetur Lib. IV. part. II. Sect. III. cap. 3. de Sympt. ex utero  
 pag. 229. sàpè ita affines esse uterinos & lienis ac,,  
 hypochondriacos affectus, ut medicum suspensum,,  
 teneant, utrum symptomata quæ agrum molestant,,  
 utero, an lieni ad scribenda sint, imò frequenter,,  
 uteri & lienis affectus (*qualem hypochondriacam di-,,*  
*xerunt*) conjungi. Quibus omnibus rite & satis  
 perpensis Helmontii Monarchatum uteri & verè igno-  
 tam actionem Regiminis penitus dirutos cernimus,  
 & propterea facile cum iis sentire inducimur, qui  
 passionem hysteriam mulierum & hypochondriacam vi-  
 vorum pro unò eodemque morbo & promiscuum  
 habent: non inficiamur fœminas hoc malo, sive hy-  
 stericum sive hypochondriacum dixeris, frequen-  
 tiùs tentari ac mares; Hi enim non adeò quacunq;  
 de caula abjecto animo sunt, magisque commotio-  
 nibus ejus resistendo; illæ verò his amplius obedi-  
 ant, pusillanimes & ad melancholiam proclives, er-  
 rorum insuper diætæ pertinaces, & ut verbo di-  
 cam, suæ mentis: exemplo nobis est, quæ innupta,  
 epulas nuptiales aditura, inopportune fluentes men-  
 ses, syas alterius fœminæ, haustu aquæ frigidæ  
 petu-*

petulanter repressit, quibus ex hinc quidem, ast in-  
ordinatè & indebitè reflorescentibus, hysterica fa-  
cta est, qualis pòst maritata diu permanxit. Ulte-  
rius progredimur propria observata communican-  
do, ad eruendas causas apprimè facientia; Anno-  
rum abhinc aliquot intercapedine in diversis utri-  
usque sexus subjectis & hystericis & hypochondri-  
acis, quod dum dicim⁹, ad strictioris alvi fuisse con-  
stat, quæ non, nisi cathartico aut clystere solicitata  
deponebat, tandem eorum & spiritus volatilis ole-  
osi similiusque frequentiore usu, quæ in ultimis spe-  
ciatim dicentur, emollita & soluta tantam pannicu-  
lorum copiam instar alutæ laceræ tenacium (*als  
lederne Lappen*) quales nunquam antehac vidimus  
neque affulâ aquâ neque facilis stylo solubiles cùm  
pituitâ aliquandiu & successivè exclusit, ut ipsa  
intestina, quorum speciem habebant, carptim de-  
mum egesta credidisses, quibus ablatis convaluer-  
runt; hodieque dum hæc scribimus, à matronâ no-  
bili hypochondriacâ jam pridem, nunc ob globum  
istum abdominis ascendentem, putativè hystericâ,  
cum insigni tetricoris pituitæ copiâ binis vicibus ali-  
quot sat grandes vermes vesiculis, quæ taetæ displo-  
debant, obsitos, denique ejusmodi centunculos iis-  
dem remediis ejectos notamus; Interim illa de im-  
portunitate globi ultrò non conqueritur. Nec sine  
argumento nec temerè ex datis suspicamur, in-  
testinorum canales secundum interiorem superficiem  
comparto illo limo ut subdititio corio plane obdu-  
ctos & incrustatos fuisse; quâpropter motu suo pe-  
ristaltico & spirali naturaliter deorsum vergente  
cohibito, munere suo in se deonmando debitè fun-  
gi præ-

gi præpedita non valuerint: Edocemur his obstinatae alvi causam, non semper in excernendorum ab acido vitiioso aut ex defectu bilis contrahitâ duritie, præcipuè, quod signo erit, si è contrariò & ex abrupto interdum fœculenta, interdum quasi indigesta prodeant, quærendam esse. Iisdem primariam & antecedentem causam pituitam viscidam ex eâque ab acidi sive fermenti vitiosi cum bile acriori effervescentiâ productos flatus & vapores materialiter existere evincitur, quis nescit bile validiore laxam fieri alyum? succumbente verò fæces indurari ab acido superante, in æquilibrio autem constitutis naturalem esse secessum; nec dubitamus asserere notatissimum illum globum abdominis nil nisi flatus esse, qui non datâ inferiore portâ repercussi, ast obstante aliquo modô decadi-vo chylo ad regulam motus in bullas quasi coæti, quæ coarctatæ duritiem quandam præferunt, sensim superiora petunt, quò delati expansione suâ majus spatum intendunt, quò denegato intestina torquent & circa præcordia hærentes ea tergeminis angoribus conficiunt: experimento simplici & plebeio constat, aquæ quoconque modo immis-los flatus bullarum formâ assurgere, quò adeò rem evidentem esse opinamur, ut minimè opus sit in explicazione rationis formalis hujus globi cum Williso &c. ad plexus nervei mesenterici ejusque fabrarum ad intestina porrectarum convulsiones spasmodicas ut suppositum æquè obscurum confugere: Intereà tamen convulsiones & spasmatæ in plurimis complicati hujus affectus ut proximam caulam & formalem utique agnoscimus, sed à prio-

ri dependentem. Quod rei est ita concipimus: maximam pituitæ partem in intestinis contineri, nemo Medicorum est, qui nescit, vitiari ab acido sive quantitate sive qualitate peccante, quales & flatus & vapores inde geniti testantur acidâ, austera, acerba, nidorosa aut cujuscunque saporis vitiosi sint, vomitu rejecta aut eruētata; illa scilicet acidâ sāpius tanta observavimus, ut fauces & internam oris superficiem instar aquæ fortis ferè excoriaverint; transire autem cum chylo vitium & cum sanguine misceri extra dubium est, quô charactere humores cuiusvis partis imbuit, pulsum modificatur, & hæmorrhoidum & mensium fluxum velut coagulo sistit: nec solum, quod in scholâ medicâ tritum est, quale fermentum talis chylus, qualis chylus talis sanguis, qualis sanguis tales humores & sic reciprocè, addi oportet, qualis sanguis tales & spiritus animales; hos ut meras bullulas consideramus vi suâ elatricâ in quovis motu naturali partium corporis disploidentes, quæ verò constitutionis vitiosæ & heterogeneæ à causâ aliquâ accidentalí aut externâ in contrarias partes coactæ, si præter naturam ad vehementiorem explosionem concitentur, convulsiones & spasmos pro re natâ minores maioresve inducunt; hinc palpatio cordis, animi deliquium, constrictio faucium, respirationis difficultas, aut ejus interceptio, risus invitus & reliqua Symptomata, quæ aliquid convolutionis præferunt. Quod si autem ex semine retento aut morâ corrupto, tam in viris quam fœminis, ab ulceribus itidem aliisque humoribus in vel ad genitalia aut alia etiam viscera decumbenti-

tibus, morbum fieri contingat, non idē causæ per se neque immediatæ sunt, sed quod contiguis nervis acrimoniā suā & læsione continui tristem sensum imprimant, qui ad principium continuatus, hærentes circa illud spiritus in perversionem adigat atque compellat, non aliter ac si inferius tracto fune adalligata superius campana in motum concitetur & pulsū; aut si, quod magis medicè, compunctum nervum diræ convulsiones, quod sāpē factum, insequantur. Denique inter externas si-  
ve remotas causas, quæ internam excitant animi pathemata, non posthabitū rerum non naturalium, ut vocantur, cæteris, gravissimæ sunt, speciatim ira, item mœstitia, terror, aspectus rerum abominabilium, præsertim si ex improviso & inopinatè acciderint. De odoribus nil certi determinare possumus præsertim si idiosyncrasia acceſſerit; quædam suaveolentia, quædam è diametro contraria extra paroxysmū liberius ferunt, quædam à medicamine, quo in paroxysmo levatae fuerunt, postea abhorrent: Illustrissimam quandam personam nulla suffimigia præter saccharum ustum tolerare potuisse; & honoratioris cuiusdam viri conjugem primā vice gravidam ex odore rosarum, quas ante adamayerat, ferè periisse tabellis nostris inscriptum est. Cæterum quæ circa causas interdum observata sint apud *Forestum*, *Zacutum Lusitanum*, *Fonsecam*, *Poterium*, & alios recentiores authores, quos si evolvere libuerit, perelegantia multa compieres, in quæ ulterius jam inquirere nostrū non est: omisisſis veniam dabis.

(20.)

*Paragraphus III.*

**Curam ostendit.**

**Q**UAMPRIMUM ægra paroxysmo corripitur, ex templo mulierculæ cum pennis perdicum, asæ fœtidâ, sulphure, pice, soliis equorum & id genus aliis præstò sunt, quibus accensis elevatum uterum tetterimo fœtore deturbatum iri credunt: non damnamus modo è contrariis illa malum contraxerit, & hoc in apertas convulsiones epilepticas non desierit, sin secus, plus noxæ quam juvinis inferunt: magis placent spiritus \*iaci quôvis modò paratus sive simplex sive ex matricariâ aut sabinâ, aut succino &c. oleosus, cum vel sine castoreo, prout res exigit, linteolo exceptus & coram naribus flabellatus, quibus spiritus averti aut aliter determinari ratio est. Si verò ladanatur his salibus volatilibus spirituoso acido. E. gr. Spir. Nitri dulc. succurrendum, ast in commune definiti quid præscribere, peculiaris hujus vel alterius subiecti constitutio verat; sic haec tenus traditum graveolentia & fœtida naribns, suavia vulvæ admovenda, interim tamen Paracelsi experimentum est pulvis ex verrucis equorum ȝj asæ fœtidæ ȝj ungul. capræ ȝij carbonibus injectus & per infundibulum in genitalia suffitu receptus, quod & ab aliis adeò comprobatum legimus, ut nullam esse uteri suffocationem, quæ huic suffimigio non cedat, dejerauerint: Quidam fragrantia ut moschum, balsamum apoplecticum, cinnamomum, caryophylla, modo

modo nares non feriant, interius data saluti fuisse; Atqui constans & perpetua nobis regula erit, quæ & politicis valet, in rebus dubiis semper tuto rem viam eligendam esse; quocircà carminantibus clysteribus ex colocynthide aut saponato acrioribus rem tutius peragi arbitramur, quod nunquam sine fructu comperti sumus: neutquam verò his proficientibus aut pertinaciori malo, agrâ instar demortuæ ferè jacente, frustra adhibitis, sternutatorii ad excitandam naribus è calamo subinde ast tantillis & cautè insufflandis agendum erit: Etsi quidam plethoricas venæ sectione liberatas fuisse contendant, unus vel alter casus regulam nostram minimè invertit, quâ in morbis convulsivis venam nequaquam secandam esse docemur. Sunt & alia in paroxysmo pro ratione causæ fatis præsentia remedia, verum non omnibus congrua, nec æquè honesta, quæ in Practicorum scriptis abundè prædicata reperies. Inter externa, quæ aut status discutiunt aut spasmum intestinorum cohibent abdomini, nec peccabis si & spinæ dorsi, inungenda maximè laudantur, olea succini, anethi, ruthæ, castorei, guajaci, spicæ, tartari & urinæ fætida, saponis veneti, aut philosophorum è pinguedine humanâ, quorum si quæ imbecilliora videantur iis destillatis acues, præcipue, modo ferre poterint, camphoræ, quæ & amygdalarum dulcium oleo soluta fatis efficax: commisceri itidem solent cum unguentis, inter quæ magis usuale carminativum Sylvii, dialthea comp. Martiatum & quod singulare experimentum, sclaræ seu hormini è butyro frixi: Emplastra his superimponenda de spermate ceti,

de tacamahaca, de baccis lauri, aut quod reliqua supereminet de galbano sive simplex sive compositum ceratum matricale dictum, præsertim si hoc primo coniunctum cum oleis selectis malacisaveris: Intermittente verò paroxysmo magnam spem in purgantibus collocamus sæpius compertis: usu frequentiori nobis veniunt comprobata, Decoct. fol. senæ c. Rhabarbaro Myns. Resina Jalappæ ad gr. vi. vitello ovi rec. soluta, & affusâ aquâ Cinnamomi, fumariæ aut fæniculi, ad unc. j. lactescens pauxillo sacchari aut lyc. Cinnamomi edulcanda; si Cinnamomum ægra non fert, omittendum; Aurum fulminans, & pilulæ gummatosæ purgantes Sylvii; sæpius interea præsertim pridie ante purgans exhibitis clysteribus ex emollientibus & carminantibus, aut si compendifieri mavis decocto hederæ terrestris, seminis dauci & nunquam satis laudando saponato confectis. Intercalaribus diebus salia volatilia oleosa debitè parata exhiberi suademus, iis enim, præterquam quod infringatur acidum, in resolvendâ glutinosâ pituitâ, cum saponis & quidem subtilioris naturam æmulentur, quô unico multum dicimus, nihil potentius aut efficacius; quibus ob convellentem spirituum motum essentia castorei cum spiritu xiaci & sale succini volatili composita admisceri, aut, si mavis, per intervalla dari poterit. Hæc itidem suppressis mensibus aut indebitè fluentibus virtute insignis, non post habitis, modò tempus ferat, Martialibus, inter quæ Magisterium Martis aperitivum Myns. Crocus ßtis cacheoticus cum nitro factus & Antimonium diaphoreticum Martiatum, non ultimum locum

(23.)

locum sibi vendicant: iis autem, si quæ in integrum non fuerint restitutæ, unicum vomitorium utramque paginam, interdum eodem die absolvisse non semel experimento deprehendimus: quod quidam de vitriolo Martis perpetuò adstringente è mehanismo somniant, constrictione vasorum menses ciere, nugæ sunt: levius & ad albedinem calcinatum resolvit, quò magis ad rubedinem eò magis adstringit, audias de hoc prolixè differentem Sylvium *de methodo medendi libr. II. cap. XXVII.* pag. 142. sic aliquando medico cuidam malè cœsisse meminimus pulverem ex vitriolo Martis & testis ovornm calcinatis, quem Cranii B. Dn. Waldschmidt in nimo mensium fluxu *casu XLIX.* pag. 203. commendat, exindè enim adeò commovebatur sanguis, ut delinquenti sæpius vino generoso succurrendum esset, NB. ad rubedinem autem calcinato & opiatis restinguebatur, ex quo medicum medico non rard imponere discimus; Opiata etiam pro sistendis convulsivis motibus magno cum fructu, cæteris paribus, junguntur, ubi Theriaca cœlestis primas tenet; cinnabarin itidem Antimonii, Antimonium diaphoreticum simplex & Martiatum, antihecticum Poterii & Stomachicum ejus, Bezoardicum Hale, matr. perlarum, ocul. 69. ppt & similia fixa temperata in ferocienti acido domando, præser-tim si scorbutus accedat, affine malum, cuius respectu trifolium fibrinum s. aquaticum præ omnibus aliis antiscorbuticis, commendamus. Hæc sunt L. B. quæ in compendio & thesi dicere volui-mus, multa enim superesse fatemur; ast hypothe-sin excitato tuo & sobrio judicio relinquimus.

Tantum!





01 A 6605



V3 17  
KD. 18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

10.

# IDOLUM MULIEBRE

In vulgò ita dictâ

## PASSIONE HYSTERICA

### DISPUTATIONE INAUGURALI

### ELEVATUM & EXCUSSUM.

Quod

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

AUGUSTO & SERENISSIMO REGIO PRINCIPE ac DOMINO,

**DN. FRID. WILHELMO,**

REGNI PRUSSIÆ AC ELECTORATUS BRANDENBURGICI  
HEREDE &c. &c.

PRÆSIDE

**DN. CONRADO JOHRENIO,**

PHIL. & MED. U. DOCT. FACULTATIS SUÆ SENIORE  
& PROF. PRIM- p. t. DECANO.

PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET  
PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CAPESENDIS,

Publicæ Eruditorum disquisitioni  
submittit

Ad Diem XXX Januar. Ann. M DCC XII.

**CHRISTIAN JOANNES SCHEFFLER,**  
Jüterbogensis Saxo.



FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Literis JOANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.

